Rostochii, anno Epochæ Christianæ 1627. cùm ibi professorem ageret, in lucem emisit. Is simul ut prodiit, tam avidè à Mathematicæ studiosis exceptus fuit, ut exemplaribus paucorum annorum spatio disstractis, rei utilitas iteratam editionem poscceret. Ea autem ob varias causas aliquantùm dilata ut hîc Hamburgi procuraretur postulavit inprimis Mathematici stu̇dii ratio, quæ in Gymnasio hujus civitatis obtinet; deinde etiam commoda discipulorum urserunt, quos levare oportebat describendi labore, quem in hac doctrina occupati non sine molestia sustinebant. Quod verò diagrammata non sunt addita, præter cæteras hæc causa est; ut ita discentium industria excitaretur. Fit enim plerunque, cùm illa libris rudimenta Geometriæ continentibus apponuntur, ut propositiones obiter, & sine attentione transmittantur, linearum ductibus leviter inspectis. Verùm cùm absunt, & expedienda regula, circinusq; in manum sumendus est, tunc advertitur animus, ita ut omnia & rectius intelligantur, & firmius etiam memoriâ retineantur. Hæc volui, nescii ne essetis. Valete.

J.A.T.